



INDEX DISP. T.

Juxta
Seriem Alphabetica

A.

De Actionib, lassis — — — 1.
 Aemulatione — — — 24.
 Alienandi Jure — — — 21.
 Ambulans — — — 33.
 Ad legem Reoram — — 37.
 Alienis rebz utendi fa-
 cultate — — — 19.
 Ad Solum Macedonian: — 12.

B.

De Beneficio Competentia. 25.

De Con-
 Cessione Salinarum Hall. — 5.
 Conditionibz — — — 14.
 Consuetudine — — — 13.
 Calculi errore — — — 18.
 Competentia beneficio — 25.
 Contractu Innominato — 4.
 Confusione obligationum 10.
 Cura — — — 11.

D.

De Decima — — — 16.
 Delictis ineminatis — 21.
 Dispensationibz — — 17.
 Deposito — — — 9.
 Dominationis Jure supremo 20.
 Delicto serui vel alteri
 hominis corrupti — — 30.

E.

De Insuperari — — — 8.
 Errore Calculi — — 18.
 Extrema provocatione — 28.

F.

De Facultate utendi rebz
 alienis — — — 19.
 Furto earz rezqz inavis te-
 vanda ean ejiciuntz — 20.

G.

H.
 De Hallensium Salinarz concessio-
 ne — — — 5.

oratitudine — — — 27.
 re alienandi — — — 21.
 In Jus vocacione — — — 2.
 Iure in re — — — 3.
 Juramentis — — — 7.
 Iusto rez pretio — — — 23.
 Iure supremo dominationis
 — — — — — 20.
 In nominato Contractu — 4.

K.

L.
 De Landgrafis — — — 33.

M.

Medicis — — — — — 32.
 Mortuorum Sententia — — — 15.
 Mutuo literarum oblig. — — — 6.
 Mortuorum Sententia — — — 15.

N.

De Nominibus et actionibus cessis. 1.

Obligatione literarum. — — — 6.
 Obligationum Confusione — — — 16.

P.

De Pretio iustorum — — — 23.
 pretio — — — — — 22.
 provocacione extrema. 28.

R.

De Rebus alienis utendi facult. 19.
 Reputatione — — — — — 26.
 De Salinarum Rall. concess. 5.
 Senat. C. Macedonianum. 12.
 Scripsi Sapiis — — — — — 33.
 Sententia Mortuorum — — — 15.
 Supremo Dominationis Iure 20.
 Subditis — — — — — 37.
 Subsidium Vicis — — — — — 38.
 Sensu vero L. non. ann. 35.

T.

Tractatus de Nominibus et actionibus
 cessis — — — — — 1.

V. U. W.

Veterum Votis — — — — — 36.
 Vocacione in Jus. — — — — — 2.
 Utendi rebus alienis facultate
 vero sens. L. Non vicium ff. 2. 35.
 Votis Veterum — — — — — 36.

X.

Y.

Z.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

INDEX

1. Tr. de Nominibus & Actionibus
 2. de ius vocacione.
 3. de iure iure.
 4. de Contract. Innom.
 5. Salinarum Halles. Concessio.
 6. Mutuo, & iterum obligat. etc.
 7. iuramentis.
 8. Emphyteusi.
 9. Deposito.
 10. Obligat. Confusione.
 11. Cura.
 12. ad Statum Maced.
 13. Consuetudine.
 14. Conditionibus.
 15. Mortuorum sententia.
 16. Decima.
 17. Dispensationibus.
 18. Errore Calati.
 19. facultate utendi rebus ali-
 20. Supremo^{en} Dominatio^{is} iure.

21. de iure alienandi.
 22. profic.
 23. iusto remm profic.
 24. Emulatione.
 25. Beneficis Competentia.
 26. Reputacione.
 27. Ingrati fudine.
 28. Exrema provocacione.
 29. furto & animi remm quae
 navis levanda causa efficiunt.
 30. de delicto servi vel alterius
 hominis corrupti.
 31. Delictis inominatis.
 32. Medicis.
 33. Landassys Dignitates,
 fijos & Ambassys.
 34. de Regem Regiam.
 35. de Ven. sen. D. non
 omnium f. de H.
 36. de Votis veterum.
 37. Subditis.
 38. Subsidiis f. iuris de.

19.
 20.
 21.
 22.
 23.
 24.
 25.
 26.
 27.
 28.
 29.
 30.
 31.
 32.
 33.
 34.
 35.
 36.
 37.
 38.
 39.
 40.
 41.
 42.
 43.
 44.
 45.
 46.
 47.
 48.
 49.
 50.
 51.
 52.
 53.
 54.
 55.
 56.
 57.
 58.
 59.
 60.
 61.
 62.
 63.
 64.
 65.
 66.
 67.
 68.
 69.
 70.
 71.
 72.
 73.
 74.
 75.
 76.
 77.
 78.
 79.
 80.
 81.
 82.
 83.
 84.
 85.
 86.
 87.
 88.
 89.
 90.
 91.
 92.
 93.
 94.
 95.
 96.
 97.
 98.
 99.
 100.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Handwritten text in the left margin, possibly a list or index]



12.
SCTUM MA-
CEDONIANUM
DEO DIRECTORE ET
DUCTORE

Superiorum Auspiciis

publicè

P R Æ S I D E

DN. JOHANN-ERNESTO
NORICO, J. U. D. & h. t.

Rectore Magnifico,

Præceptore, Hospite & Patrono Maximo

discutiendum

proponit

MARTINUS ZACHARIAS CRAMERUS,

Northusa-Cheruscus,

Auctor.

ANNO M DC LXV. D. 18. Maj.

H. L. Q. C.

L I P S I Æ

Typis Viduæ HENNINGI COLERI,

Sp. Lic. Deglüt.





A. SS. T.

Filiū familiās ex omni, quē celebrat, contractu in solidum obligari constat, haud sine effectu motæ actionis: (1.) Excipitur tamen mutuum ære præsentis contractum, (2.) quod si Creditor in foro urgeat, Sctum Macedonianum ipsum ampla quidem, sed vacuā cum crumenā, Chrysopœji instar à Leone X. PP. festivè satis delusi, (3.) domum redire jubet; atq; ita fœneratorem auri argentine

Expectata seges vanis eludet avenis. (4)

In cuius Scti expositione brevissimā ingenioli mei vires, Deo Auspice, experiri, cumq; è disceptatione veritas, uti ex collisione lapidum ignis, eliciatur, (5.) aliquot Theoremata, rudi stilo filoq;ve conscripta placidæ Eruditorum διασκεψει submittere visum fuit, quædam publicæ luci sisto, solempne illud Pythagoricorum præfamen: *ἡ διδασκειν, ἀλλὰ κοινωνεῖσθαι*; (6.) iisdem, ederæ instar, præfigo.

1) l. 39. ff. de Obl. & Act. l. 44. ff. de pecul. l. ult. §. 2. ff. de V. O. l. 57. ff. de jud. Magnif. Dn. Carpz. Disp. de Contr. Mut. p. 3. n. 1. Schnobel Disp. ff. 9. th. 18. ubi limitat. 2) l. 1. pr. ff. ad Sct. Maced. 3) Drexel. Aurif. P. 3. c. 2. 4) Virg. l. 1. Georg. 5) ut ait Scalig. Ex. 308. 6) Lips. l. 1. Ep. qq. Ep. 4. ad Joach. Camerar. p. 112.

I.

Scto huic quod justissimā ratione hodieq; suæ sint vires, est in propatulo.

Negotium nobis facescit æquitas naturæ, lucellum alienā ad-quisitum jacturā detestata: (7.) sed limitatur ea, si salus publica aliud exigat, (8.) quam derelinquere contra naturam est: (9.) apud sapientes enim casus habentur, quæ neq; dari neq; accipi salva Rep. possunt. (10.) Quid? quod nec suā culpā Creditor damnum sentiente videatur. (11.) Hinc corruietiam aliud ἀντιπρόσθετον, (12.) quod suum

suam cuiq; tribuere jubet; si enim, uti jus, uti fas est, utilitatis publica ratio habeatur, ac proinde justior Debitoris petitio attendatur, (13.) non est, quod insito & quasi consignato in animis nostris præcepto fraudem fieri vereamur. Sæcti autem Exceptionem, illibatam hæctenus intactamq; in Praxi utriusq; Fori custoditam esse, Dicasteria testantur. (14.)

7) l. 14. l. 66. ff. de cond. ind. l. 25. ff. rer. amot. l. 206. ff. d. R. J. c. 48. eod. in 6.
8) per l. un. §. 14. C. de caduc. toll. Ludvv. Comm. ad d. l. 206. de R. I. n. 3. & 4.
9) Lips. l. 4. Pol. c. 13. n. 8. 10) ut loquitur Tacit. 3. Hist. 55. 4. l. 203. ff. de R. I. c. 86. eod. in 6. 12) ex §. 3. Inst. d. J. & J. l. 10. §. 2. ff. eod. 13) l. 31. §. 1. ff. deposit.
14) Dn. Carpz. P. 2. C. 10. D. 16. & P. 3. Decis. 256. n. 1. & seqq. Hahn, ad VVesenb. ff. h. t. n. 5.

II.

Appellationis prioris originem traxit à Senatu & consulendo: posterioris à Macedone,

Quando Senatus Romanus juris condendi auctoritatem, quam pristinis temporibus desideravit, (15.) acceperit, dicere supersedebimus, cum Aristotelis monito saniores, brevitatem cum Callisthene sectemur, (16.) & sicut ille Regi, ita nos delicatioris palati Lectori prolixo sermone obstrepere vereamur. (17.) Quod autem Macedo improbo scenore quæstum fecerit, primæ imæq; caveæ Jcri adserunt, confirmant usitatâ quondam in Sæctis perscribendis formulâ: omnes, omnes: (18.) unum si excipias Theophilum, cujus tamen ab aliis jam pridem explosam sententiam hæc refellere, inutile foret, (19.) Nomen Sæcto Macedo dedit, atq; instar Herostrati, (20.) inclaruit, ut alii ejus exemplo saniores vel ad ipsam nominis mentionem exhorescerent, ac proinde pravis dictis factisq; ex posteritate & infamia metuesset: (21.) sicut enim nomen illustre, cum Alexandro, (22.) generosam indolem haud levi stimulo urget; (23.) ita contra infamiæ notæ,

Quæ manent culpas etiam sub Orco, (24)
scelerum gregem terrore cohibent.

15) V. Rosin. Antiq. Rom. l. 7. c. 6. 16) V. Saavedr. Symb. Pol. 11. p. m. 85.
17) vid. Vinn. Comm. ad §. 5. Inst. de I. N. G. & C. Frantzk. Comm. ff. d. O. I. n. 29.
Struv. Ex. 1. th. 63. & seq. & imprimis Rupert. Enchirid. Pomponii ad l. 2. ff. de O.
I. §. 9. c. 10. 18) Dempster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. l. 7. c. 5. 19) vid. Frantz.
ff. h. t. n. 2. & 3. Ludvv. ad §. pen. 1. quod cum eo. n. 2. 20) Micral. Synt. Hist. l. 2.
ff. 3.

l. 3. p. m. 380. 21) ut loquitur Tacit. 3. Ann. 67. l. conf. Saavedr. Ep. Dedic. Symb.
Pol. Lips. l. 4. Pol. c. 9 n. 20. & 21. Simile ex. exstat. in l. 1. §. 5 ff. de postul. de Car-
fania & apud Val. Max. l. 6 c. 1. n. 7. de Scantino, quorum illa occasionem, hic simul
& nomen legi dedit. vid. Tacit. l. 15. Ann. c. 20. n. 3. 22) Curt. l. 8. n. 11. 23) vid.
Loccen. ad d. l. Curt. p. m. 150. ibiq; dictum Alexandri: adolescens, aut nomen ma-
ta, aut mores. 24) Hor. Od. 11. l. 3.

III.

SCtum Macedonianum sive Exceptionem, sive Be-
neficium SCTi nomines, verus es: legibus enim atq; JCTis
hæc sunt synonyma.

Dicitur Exceptio, (25.) quæ non personæ, (26.) sed rei co-
hæret. (27.) Beneficium audit Practicis. (28.) Sed hæc de nris,
quæ faciunt ad *ἴσχυρος τῶν ἐνομαίων ἐξ ἧς τῆς ἀειδύσεως*, teste
Epicteto, paucis & solemni aliâs Geographorum more (29.) deli-
basse sufficiat: jam manibus opus est bello, non multis hominibus:
(30.) ad Definitionem igitur ipsius rei (31.) jam accingimur.

25) l. 19. l. 7. §. 10. l. 9. §. 4 ff. h. l. 4. §. 14. ff. de dol. mal. & met. exc. 26) d.
l. 7. §. 10. ff. h. 27) l. 7. §. 1. ff. de exc. 28) Dn. Carpz. P. 2. C. 10. D. 17. n. 1. & lib.
2. Resp. 105. n. 17. & 18. 29) vid. Lanf. pro Germ. p. m. 21. 30) uti ex Synes. ait
Lips. lib. 5. Pol. c. 8. n. 3. 31) neq; enim verbis, sed rebus LL. imposita. l. 2. sub f. C.
comm. de legat. conf. l. pen. ff. ad exhib.

IV.

SCtum Macedonianum est Decretum Patrum, quo
Creditor mutuum filios, dare datumq; ab eo repetere pro-
hibetur.

Generis vicem præstat Decretum Patrum, per quos *κατ' ἐξοχλή*
sic dictos volumus Romanos ex instituto Romuli, quo consilium
Reip. penes senes erat, qui ex auctoritate Patres, ob ætatem Senatus
vocabantur, (32.) hinc Claudianus:

Tu civem Patremq; geras; tu consule cunctis,

Non tibi: nec tua te moveant, sed publica damna, (33.)

Creditores autem quosvis intelligimus, etiam civitatem; (34.) om-
nes enim SCtum,

Tres Rutulusve fuit, nullo discrimine, (35.)

foeneratorum odio; frustra, cum Demosthene, *ἀπαθῆν τὴν πόλιν* (36.)
venerari jubet: civitati tamen restitutio in integrum concedi posse
videtur: (37.) neq; etiam interesse ducimus, ipse creditor credide-
rit.

est, an alio credente stipulatus sit: (38.) socium enim, ignorantem licet, exclamare jubemus:

Mantua vix miseræ nimium vicina Cremonæ! (39.)
uti & successorem. (40.) Dum autem à filio repeti posse negamus, non excludimus personas, quas vel identitatis, vel repræsentationis aliqua ratio eidem associat. (41.) Cæterum Differentiæ, quam tum à subiecto, tum ab objecto, tum ab effectu petimus, explicatione sequentes pagellæ dabunt. (42.)

32) Flor. l. i. c. i. f. fin. Pac. Isagog. ff. de senat. n. 6. 33) de quart. Conf. Honor. v. 594. 34) l. 15. ff. h. 35) Virg. l. 10. Æn. 36) vid. Micræl. Synt. Hist. l. i. Sect. 5. n. 8. p. m. 166. 37) post Gl. ad d. l. 15. ff. h. Molinæus Conf. 10. 38) l. 7. §. 7. ff. h. 39) Virg. Ecl. 9. 40) l. 7. §. 6. ff. h. junct. l. 143. l. 160. §. fin. ff. d. R. I. 41) v. l. 7. §. 10. ff. h. 42) vid. l. i. pr. ff. h.

V.

Causa Efficiens S^Cti est vel Principalis, vel minus Principalis.

Illa vel REMOTA, eaq; tum PROCREANS sc. Senatus, magister juris ac moris probi, (43.) auctore Vespasiano Imp. (44.) licet enim antea lex Latoria, (45.) exemplo forsitan Atheniensium, (46.) hanc juventutis perniciem exosa, prohibuisset, ne quis filios. minori 25. annis (47.) inopia argentaria laboranti crederet: cum tamen creditorum pervicacia, mille nocendi artes, (48.) cum Autolyco, (49.) edocta, nullo negotio eam eluderet, Claudius malo huic indies crescenti medicinam facturum lege lata creditorum sævitiam iterum coërcuit: (50.) sed nec hoc medicamine Reipub. hoc vulnus resectum est; fœneratorum enim improbitas, ut

hydra secto corpore firmior, (51.) antiquatâ hâc lege, aut elusâ, (52.) summum hoc populi Romani consilium (53.) tandem movit, ut debitorum securitati plenissimè consulere & immedicabile vulnus ureret, secaret, (54.) magis tamen flectendo, quam excruciatos fontes delendo. (55.)

Tum CONSERVANS: Jus Civile: sed Q. An interiori in Conscientiæ foro locum obtineat? quod aff. quia sanctio J. Civilis, ratione boni publici ad particulares modos aut alias circumstantias, quæ sub legem naturalem non cadunt restricta non contra, sed juxta

xtâ

xta vel præter jus esse videtur, ac proinde ejus observata ratio Debitorem non tutum modò, sed & securum (56) reddit: (57.) licet aliàs, secluso J. Civili, naturali & civili vinculo (58.) obstringatur & absolutè loquendo nec in conscientia solutionem subterfugere possit. (59.)

Vel PROPINQVA: ipse Contractus Mutui, initus cum eo, qui in Patris adhuc sacris (60.) constituitur. (61)

43) Auct. Thebaid. act. 2. v. 9. 44) Sveton. in Vespas. 11. 45) qua de vid. Cic. de natur. Deor. Rosin. Antiq. Rom. l. 9. c. 17. 46) apud quos haud ab simile interdictum viguit, Meier. Colleg. Arg. ff. h. t. th. 1. 47) hinc quina vicenaria dicitur. Plaut. Pseud. A. 1. S. 3. ibiq; Taubm. huc respexisse videtur Ter. Phorm. A. 1. S. 5. si quidem quisquam crederet te vivo. 48) Virg. l. 7. Æn. 49) vid. Martial. lib. 8. 50) Tacit. 11. Ann. c. 13. 51) Hor. od. 4. l. 4. 52) Frantzk. Comm. ff. h. t. n. 5. 53) Cic. pro Dom. 54) ut loquitur Cic. Philipp. 8. vid. de hac formulâ Lips. l. 4. Pol. c. 3. n. 11. & N. 55) quem suppliciorum morem in satellites tyrannidis Fl. Vespasianus servasse fertur, Sext. Aur. Victor in Vesp. 56) Senec. Hippol. v. 163. hinc P. Syrus: Tutæ sapè, nunquam secunda mala conscientia est. 57) Hahn. Not. ad VVesenb. ff. h. t. n. 2. Zoef. ff. h. t. n. 6. conf. Hahn. ad VVesenb. ff. de LL. n. 7. & Struv. Ex. 2. th. 13. 58) l. 10. junct. l. 9. §. fin. l. 11. ff. h. 59) Hahn. d. l. 60) potestatem intelligo patriam. l. ult. C. de inoff. test. l. 7. pr. C. de curator. fur. 61) d. l. 1. pr. ff. h. & §. 7. l. quod cum eo. Dn. Carpz. l. 2. Resp. 105. n. 13.

VI.

Minus Principalis est Impulsiva.

Eaq; PRIMARIA; odium sceleratorum, (62.) quibus Sanctum Consilium Patrum (63.) messem (64.) auream (65.) præcidit: his autem ingeniosa nequitia Macedonis ad eludenda Scti Claudiani interdicta signa quasi sustulit, qui, ut angvillæ instar, elaboretur, (66.) lucello beatus, filiis pecuniam credidit incertis nominibus, (67.) sc. ut non constiterit, quo tempore esset reddenda, (68.) sive in incertum planè eventum, si Parentes vivendo vicissent, ut tùm sua nomina obligationis nexu liberarent: (69.)

Hoc fonte derivata clades

In patriam populumq; fluxit: (70.) neq; enim deploratæ salutis filii Solonis opinione (71.) vivere, sed luxurie arisq; magnitudine (72.) pressi atq; tantùm non oppressi in annos patrios sapenumberò inquisivè, (73) infidiasq; vitæ parentum struxere, (74.) ut, quibus salvis salvi esse non poterant, iis sublatis, morerentur. (75)

SECUN-

SECUNDARIA: favor Parentum, quos vomica & carcinomata hæc (76.) infidiis petiere, parum æquis persolutis *Ἰππικῶν* (77.)

62) l. 40. in f. pr. ff. de cond. ind. Dn. Carpz. P. 2. C. 10. D. 17. n. 3. 63) Hor. Od. 5. l. 4. 64) iis enim, sive sterile, sive fertile sit solum, menstruos fert census Luna, Sol annuos: eleg. Schönb. l. 3. Pol. c. 12. 65) qualem ferè Stratoles inhiavit. Schönb. l. 1. Pol. c. ult. 66) Plaut. Pseud. A. 2. Sc. ult. 67) d. l. 1. pr. ff. h. 68) Gothofred. ad d. l. 1. pr. n. 7. Hahn. ad VVesenb. ff. h. t. n. 2. 69) Frantzk ff. h. t. n. 4. 70) Hor. Od. 6. l. 3. 71) qui cum interrogaretur; cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit; se id neminem facturum putasse. Cic. pro Rosc. 72) quibus negatis ipsam Parentis cædem negat Cic. d. Or. pro Rosc. conf. Lips. l. 4. Pol. c. 11. n. 14. 73) Ovid. l. 1. Metam. v. 148. ibiq; Farnab. lit. h. V. Zoef. ff. h. t. n. 1. 74) d. §. 7. J. quod cum eo. l. 3. §. 3. ff. h. 75) ut loquitur Vellej. Patere. l. 2. Hist. c. 91. 76) uti Augustus filiam neptemq; suam dixit. Svet. in August. 77) quo de conqueritur Hesiod. lib. 1. v. 186.

VII.

Objectum Mutua Pecunia constituit.

SCtum sua interdicta tum ad mutuum, (78.) tum ad numeratam pecuniam (79.) restringit: sicut igitur ceteros contractus, sub usuris licet initos, (80.) ita & ceteras res excipit: (81.) licet alias pecuniae appellatio, gladii instar Delphici, (82.) pluribus rebus inserviat; (83.) nisi fraudem SCTo creditor facere audeat. (84) Rationem solius pecuniae rejectæ ut, more Catonis, (85.) inquiramus, ea videtur esse, quod in castris Veneris atq; voluptatum hoc belli nervo (86.) facilius, quam ceteris rebus, constet victoria, sed qua victor ipse captus, (87.) desperatis sæpè rebus fatum Parentibus acceleravit. (88.) An autem Creditor sub, aut sine usuris crediderit, nihil refert. (89.) Ratio petitur ab odio cujusvis Creditoris: ut nec interest, an consumpta sit pecunia, an adhuc in peculio existet, (90.) ob severitatem SCTi, quæ, durior licet, subditos tamen, dicente Coty Rege Thraciæ, sanos reddit. (91.) Videntur autem mercator & caupo, qui merces suas ad vestium gulæq; luxuriam iusto largius filios, erogant, SCTo quodammodo fraudem facere. (92.)

78) l. 3. §. 3. l. 7. §. 14. l. 13. ff. h. Dn. Carpz. l. 2. Resp. 105. n. 4. 79) l. 7. §. 3. ff. h. 80) l. 3. C. h. t. 81) d. l. 7. §. 3. Vinn. Comm. ad §. pen. l. quod cum eo. 82) vid. Adag. Erasmi. 83) l. 178. l. 222. ff. d. V. S. Meier. Coll. Arg. h. t. th. 3. 84) exempl. in d. l. 3. §. 3. l. 7. pr. & §. 1. ff. h. Zoef. h. t. n. 7. fraus quando legi fieri dicatur vid. l. 29. & seq. ff. & l. 5. C. d. LL. 85) qui tum puer ita præceptori suo credebat, ut tamen identidem posceret & causam, Lips. Procem. Pol. 86) uti de bello, sed fortiori

fortiori differit Schönb. l. 6. Pol. c. 6. 87) Hor. l. 2. Ep. 1. v. 146. 88) d. l. 3. §. 3. ff. h. 89) l. 7. §. 9. ff. h. Vinn. ad §. 7. Inst. quod cum eo. 90) l. 9. §. 2. ff. h. 91) V. Lipsi. 4. Pol. c. 9. n. 16. 92] per §. pen. J. quod cum eo. d. l. 1. pr. verb. materiam peccandi. ff. h. Struv. Synt. Jurisp. Ex. 20. th. 53. ubi de Franeckeranæ & Salanæ Academiæ Statuto testatur, cui *ἀπόψυξον* ferè est illud V Vitteb. Acad. apud Schulz. Synopf. Inst. ad d. §. p. l. e. Sed quid externum, aut ignotum pro magnifico veneramur? Tacit. Agr. 30. 4. cum Inclutæ nostræ Academiæ & Senatus Oppidani Compactata, quæ vocant, vetent, Studiofo, nisi nobili, aut honestiore prolapia oriundo, a Sartoribus ultrâ s. florenos, ab Oenopolis verò ultrâ i. quicquam credi.

VIII.

Subjectum Principale sunt Parens & Filius.

Parenti hîc primas tribuo, quoniam aliâs non ut persona accessoria, sed peculiatus ex contractu filii lite pulsatur, (93.) & quia de ejus potissimum corio luditur: tuetur autem SCtum Patrem, vivente aut mortuo filio: (94.) itemq; avum. (95.)

Eodem tegitur clypeo Filius, paterni sui juris, (96.) etiam institor: (97.) degener autem, an industrius ille, (98.) Consul de jure veteri, (99.) an infimi sit loci atq; ordinis, nihil interest; dummodò ei, cum Patris naturalis aut adoptivi (100.) potestati, dubiæ licet, (101.) tempore numerationis (102.) subjectus esset, (103.) creditum fuerit, sive soli, sive cum alio sui juris, (104.) potestatis licet jugo postea vel mutato, (105.) vel excusso. (106.)

Cum autem SCtum filiorum tantum mentione facta, brevissimis verbis jubeat, non disputer: (107.) idè *κατὰ δικάσειον* illud ad filias, (108.) nepotes & pronepotes (109.) extenditur.

93) §. 10. Inst. de Act. §. 4. J. quod cum eo. l. 1. §. 2. & l. 29. ff. de pecul. Ludvv. 16. th. 9. l. f. 94) l. 9. §. 3. l. 7. §. 10. ff. h. & l. pen. C. eod. Zoef. ff. h. t. n. 5. 95) l. 14. ff. h. junct. l. 201. ff. d. V. S. 96) l. 9. pr. & §. 4. ff. h. d. §. pen. J. quod cum eo. 97) l. 7. §. 11. ff. h. 98) Schnob. Disp. ff. 9. th. 19. fac. ratio in §. 8. sub f. Inst. de Oblig. quæ ex delict. 99) l. 1. §. 3. ff. h. 100) l. 1. §. 2. ff. h. 101) V. l. 1. §. 1. l. 7. §. 7. & 8. ff. h. 102) l. 4. l. 6. ff. h. 103) l. 7. §. 4. & 5. ff. h. 104) fac. l. 74. ff. de cond. & dem. Zoef. ff. h. t. n. 25. 105) l. 7. §. 4. h. 106) d. l. 1. §. 2. ff. h. 107) V. Senec. Ep. 95. fac. l. 8. l. 12. ff. de LL. 108) l. 9. §. 2. ff. h. junct. l. 201. l. 84. l. 116. ff. de V. S. & Nov. 115. c. 3. §. 5. 109) l. 6. §. 1. C. l. 14. ff. h. junct. d. l. 201. de V. S. Zoef. ff. h. n. 4.

IX.

Subjectum minus Principale personas dico accessorias.

Eadem, quam supra diximus, causæ victoria præstat invictum,

B

1. Fl-

1. FIDEJUSSOREM, (110.) vivo filiof. datum, (111.) nisi,
dum donandi animo intercedit, (112.) victoria, cum Annibale, (113.)
uti nesciat. 2. MANDATOREM, (114.) nisi hinc quoque
donandi animus sufflamen objiciat. (115) 3. HEREDEM. (116)

110) l. 9. § 3. ff. h. l. 7. § 1. ff. de Exc. 111) l. 18 ff. h. V. Vesenb. ff. h. t. n. 7.
112) d. l. 9. § 3. Meier. Colleg. Arg. th. 5. n. 23. Ratio pater ex l. 5. pr. ff. de lib. leg.
113) dicente Adherbale ap. Flor. l. 2. c. 6. aut Maharbale, uti vocatur a Liv. l. 22. § 1.
114) l. 9. § 3. ff. h. Zoel. h. t. n. 5. 115) d. l. 9. § 3. 116) l. 7. § 10. ff. h. junct. l. 128. § 1.
l. 59. l. 177. ff. d. R. l. Nov. 48. in f. pr.

X.

Forma est vel Interna, vel Externa.

Interna est pecuniæ mutuae filiof. dandæ prohibitio: qua de-
cum passim jam fusius actum sit, dicere plura supersedeo; ne Fran-
ciscum I. Galliarum R. imitatus, (117.) idem semper repetam & Lecto-
ris, si quis erit, (contentus enim cum Heraclito (118.) & Antimacho
(119.) vel unius ero studiis) patientia abuti videar.

Externa consistit in Exceptionis Peremptoriæ productione, quæ
post fata quoque Patris creditorem excludit, (120.) neque modò,

Cum venit ad dubium grandi cum codice nomen, (121.) Cre-
ditor, antè L. C. (122.) sed & in ipsa L. C. (123.) imò post senten-
tiam (124.) rectè opponitur: siquæ in continenti queat probari, ut
ejus veritas cum Heraclito (125.) altiori indagine erui non de-
beat, in ipsa Executione, in foro etiam Saxonico, contra Instrumen-
tum, quod vocant, garentigiatum objicitur, (126.) atque ita quovis
tempore fœneratorum adulterina fides adulterinam (an dixerim nul-
lam?) pecuniam meretur: (127.) si modò Reus, cui

Libenter hoc & omne militabitur
bellum, (128.) existentiam filii sub P. P. argenti numerati tempore
illibatam, probeat. (129.)

117) qui ad Carolum V. literas miserat cum hac epigraphe: Franciscus I. Rex
Galliarum, Galliarum, Galliarum. V. Piccart. Obs. Hist. Pol. Decad. 4. c. 10. 118) V. Lanf. Ep.
Dedic. ad Duc. V. Virtemberg. 119) cui Plato fuit instar omnium. Cic. de clar.
Orat. 120) d. §. p. I. quod cum eo. d. l. 1. pr. l. 7. § 10 ff. h. 121) Javen. Sat. 7.
122) d. l. 1. pr. vers. ne actio ff. h. t. 123) per c. 1. x. de lit. cont. l. 9. C. de Exc.
124) l. 11. ff. h. ibiq; Gothofr. Ludv. Ex. 17. §. 3. l. d. 125) vid. Jun. & Canter. in
Append. ad Chiliad. Erasmi. sub Tit. Libertas Veritas. 126) Dn. Carpz. l. 2. Resp.
105. n. 10. 12 & seqq. & l. 2. Resp. 2. n. 3. & 16. & Proc. Jud. T. 22. A. 3. n. 31. 127)
quam Carolus IV. proditoribus solvi jussit, addito hoc dicto: vid. Clasen. Comm.
in

in Cebet. Tab. verb. proditorem p.m. 87. 128] Hor. Od. 1. l. Epod. 129] per
d. l. 4. l. 6. ff. h. junct. l. 1. ff. de Exc. l. 22. ff. de prob. Ludvv. Ex. 17. th. 1. l. a.

XI.

Finis datur tùm Ultimus, tùm intermedius.

Ultimus est salus publica, cujus tùm cæteras gentes, non sine
ridicula quandoq; superstitione, (130.) tùm Romanos inprimis te-
nacissimos fuisse cõstat ex aurea ista lege XII. Tab. Salus populi &c.
ne igitur pecunia, irritamentum istud malorum (131) filiorum mo-
res affligeret (132.) mersamq; vitiis suis quasi sentina Remp. pes-
fundaret, (133.) haud injuria omni usu ac decore ei demto, (134.)
providere S^Cti Auctores.

Intermedius C U J U S est, ut urbibus illud vetus scænebre ma-
lum & seditionum discordiarumq; creberrima caussa (135.) tolla-
tur, (136.) ne catulo quidem ex pessimo genere relicto, (137.) utq;
valpeculas hæc alterius vestigia terreant, (138.) moneantq; non
semper tripodem ex hoc salo extrahi. (139.) CUI: ut Reus absol-
vatur & scenerator Romanum istud audiat: abi musca. (140.)

130] vid. de Mexicanis & Burgundionibus Lips. l. 2. Pol. c. 6. n. 2. 131)
Ovid. l. 1. Metam. v. 140. 132] d. l. 1. ff. h. 133] Flor. l. 3. c. 12. 134] ut loquitur
Sallust. ad Cæs. Or. 1. 48. 135] Tacit. 6. Annal. 16. 2. conf. Schönb. l. 3. Pol. c. 12.
136] Zoef. h. t. n. 2. Schneidevv. ad §. 7. Inst. quod cum eo. 137] uti cæso Maxi-
mino jocati sunt milites. Sext. Aur. Victor Epit. Cæs. in vit. Maxim. 138] Hor. l.
1. Ep. 1. 139] vide de Chienfibus Saavedr. Symb. Pol. 29. pr. 140] V. Dn. Hildebr.
Antiq. Rom. in Form. pr.

XII.

Effectus est Actionis Exclusio.

Sed posset aliquem hinc scrupulus vellicare, eò quod Actio (141) licatur
denegari, cum tamen & naturalis & civilis obligatio (142) filii Exce-
ptione, (143) quæ præsupponit actionē, (144) impediatur. sed non est,
quod emunctæ hic naris judicem verbo Cypriani: da Magistrū: (145)
queramus; Non enim, 1. tam Actio denegatur, (146) quàm Actionis
effectus, opposita Exceptione. (147.) 2. dividere hinc more Qviri-
tium, sententiam (148.) jubemur: si enim Prætori *in Savonia* li-
quidò constat; Actio rectè denegatur; (149.) cum absurdum non
sit, Actionem ipso jure salvam à Præatore denegari: (150.) sin adhuc
rei ignorantia Pyrrhonicorum & Scepticorum illo dictorio: Non
liquet: (151.) calculum suspendat, exceptione eandem, (152) sal-

va tamen naturali obligatione, (153.) infringi judicamus. (154.)

Sed ut, cum Annibale, omnia nobis hostium haud secus, quam nostra, nota sint; (155.) ad Contraria descendimus, quæ ea, quæ licebit, brevitate excutiemus, ne quis nobis Callimachus insusurret: τὸ μέγα βιβλίον ἴσον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ. (156.)

141] in d.l.i. pr. l. 9, §. 2. ff. h. 142) V. supr. th. 5. 143] l. 7. pr. §. 1. 4. 7. l. 9. §. 4. ff. h. 144) Zoef. h. n. i. 145) cum Tertullianum ille posceret. Gerhard. in Patrol. in vit. Cyprian. p. 175. 146) vid. Ludvv. Comm. ad §. 4. Inst. de Except. n. 1. & 2. 147) VVissenbach. Comm. Cathedr. C. h. t. junct. l. 2 §. 1. ff. ad Sct. Vellej. 148) V. Rosin. Antiq. Rom. l. 7. c. 7. 149) per l. 9. ff. de jurej. Vinn. ad §. 7. J. quod cum eo. 150] l. 57. ff. de adq. & amitt. hered. Frantzk ff. h. t. n. pen. 151] V. Miscræl. Lexic. Philos. in voc. Philosophus. 152) d. l. 7 p. ff. h. 153] l. 10. ff. h. l. 19. pr. ff. de cond. ind. Schnob. Disp. ff. 9. 9. 22. 154) Meier Colleg. Arg. ff. h. t. th. 9. & seqq. 155) Liv. 22. 41. 156) Lanl. pro Germ. p. 962.

XIII.

SCTI Exceptionem Contraria per modum Replicationis resolvunt.

Ne enim Pythagorici illius: μὴ ζυγὸν ὑπερβαίνειν: (157.) immemores Debitori nimium indulgeamus, damni, quod Creditor sentit, securi, atq; ita exuviis D. Petro detractis Paulo induvia præstamus; (158.) excludi Reum per Replicationem statuimus, 1. A-GNITIONE ipsius filii sui jam juris, (159.) vel V E R B I S e. gr. renunciatione: (160.) vel F A C T O, ut solutione, (161.) partis licet, (162.) novatione (163.) debiti quamvis alieni, (164.) datione pignoris, (usq; ad ejusdem tamen quantitatem) (165.) declarata: quod si filius, Patre nondum custode remoto, (166.) ære se liberârit, exstantem pecuniam, nisi gnato eo fine donatam, (167.) Pater vindicat, (168.) consumptam condicit (169.) conditione furtiva; (170.) haud tamen absq; temperamento bonæ malæq; fidei: (171.) filius verò si repetat, omni jure destitutus, (172.) nihilo plus agit, quam si quis Herculi clavam, (173.) aut Turcis hodiè vti quondam rapta eripere (174.) tentet.

2. V O L U N T A T E (quam paulò latius hîc acceptam (175.) volumus) Patris, tum prævia, (176.) tum subsequuta per ratihabitionem. (177.) invito quamvis filio inq; ejus præjudicium factam: (178.) utraq; autem vel expressa, (179.) vel tacita; (180.) hinc si filius, oneris paterni, haud incuriosus, (181.) filia suæ dotem vel dede-

dederit, 182.) aliàs ab avo profecturam, 183.) vel promiserit, re
Patris (frustrà licèt vivo Patre) pignori opposita, 184.) aut ad res
necessarias 185.) pecuniam acceptam perdiderit, 186.) aut sanioris
homo frugis in rem Patris eam verterit, 187.) alio licèt animo sum-
tam, 188.) solidum Parens exsolvere tenetur: 189.) inprimis si filii
legationis, aut studiorum ergò absentes, atq; ita

--- missi magnis de rebus uterq;.

as alienum consuet: 190.) accuratè tamen in Studioso observato
tùm probabili modo, qvi tenaciorem Parentem, tùm quantitate Pa-
tri consveta, qvæ liberalem arguit; 191.) ne, si Carolinum istud:
Plus ultrà: metam inveniatur, 192.) scribatur: plus citrà. 193.)
Hinc Parenti, qvi hæc filii debita, filio adhuc vivo 194.) antea
semper diluit, nec novissimum Creditorem, Pinariorum instar, 195.)
excludere licet. 196.) Quod si autem Ephorus, qvem Pater, studio-
rum gratia, filio addidit, licentia undecunq; petenda pecuniæ data,
Lacedæmoniorum more, 197.) eam luxu confecerit, opem feret
Patri sententia S. Cti: 198.) ipso enim jure Mandatum luxurie Procu-
ratoris extingvitur.

Sed quid si Parens ignoret, aut cum
Ludovico XI. R. Gall. 199.) filium à studiis abstrahat? tùm S. Cto
Creditor, haud absq; justa ratione, 200.) repellitur, nisi pecuniam
filio, vel ad studia, semel misso, vel ad literarum rudimenta, vel ad
majora transeunti (qvatenus postremo hoc casu domi alendus fuit)
subministrârit; officio tamen Superioris Nobili in generosiori ali-
qua indole haud excluso. 201.) Monachus autem, si qvos in stu-
diis sumtûs fecit, Abbatem vel Monasterium, à quo missus fuit, ob-
stringit. 202.) Sed ut ultimum de Patris placito addam: Q. an fide,
dignum judicemus filii chirographum Patris sigillo firmatum? Resp.
istud non magis, ut γνήσιον 203.) agnoscimus, qvàm vel Romani
suum Pseudophilippum, 204.) vel Conradus II. Imp. literas com-
mendatitias Lupoldi Comitum filio traditas. 205.)

3. D O L O filii, suam mentiti libertatem & justo Creditoris
errore, 206.) ab hoc probando: 207.) justum autem dicimus, vel
ab existimatione publica, 208.) licèt absq; assertionem filii; 209.) vel
ab invincibili ortum ignorantia, 210.) qualis imponit pupillo, 211.)
filios, 212.) minori, 213.) eiq; qvi duos sibi filios, reos devinxit;
dummodò ad filium ignoratæ conditionis pecunia pervenerit, 214.)

B 3

Hos

Hos passibus æquis Creditor sequitur, cui ex causa onerosa delegatio facta est. 215.)

4. DIGNITATE, quæ novo jure filiumf. à P. P. eximit; 216) cum honor &

---- fax mentis honestæ,

Gloria 217.) sinistras præsumptiones ab homine sui juris removeant: 218.) solam autem Nobilitatem, cum à P. P. non liberet, dignitati hinc neutiquam annuero. 219.)

5. MILITIA: 220.) milites enim tum pecuniæ in causas castrenses versæ præsumtio, 221.) tum disciplina Romanorum militaris, luxuriosæ licentiæ vindex, 222.) urget: licet autem militibus nostris, ad nummarium odorem sagacissimis, 223) nec extrema, quidem lineamenta 224.) pristinae disciplinae restent, 225.) ut proinde merito Metellum aut Corbulonem aliquem saniores Politici hodiè exoptent: 226.) quin tamen Jus Civile, nusquam hinc sublatum, adhuc in iisdem locum habeat, ambigendum non est. 227.) Militibus jungo mercatorem filium, 228.) aut alias peculio vel castrensi, 229.) vel quasi castrensi, 230.) vel adventitio plenissimi juris 231.) locupletem, pro quantitate cujuslibet obstrictum. 232.)

157) V. Chiliad. Erasmi. 158) ut loquitur Dn. Carpz. Disp. de Asyl. Deb. th. s. n. 109. 159) l. 2. C. h. t. 160) Zoef. ff. h. t. n. ult. 161) l. 40. ff. de cond. ind. 162) l. 7. §. ult. ff. h. 163) d. l. 2. C. h. 164) l. 13. ff. h. 165) l. 9. pr. ff. h. V. Zoef. ff. eod. n. 22. & 23. Perez. Præl. C. h. t. n. 13. 166) Hor. art. Poet. 167) l. 9. §. 1. ff. h. 168) l. 14. ff. d. R. C. 169) l. 9. §. 1. ff. h. 170) per l. 18. ff. de cond. furt. 171) V. Zoef. ff. h. n. 20. Perez. Præl. C. eod. n. 6. & quodammodo *ἐπιπέλας* Meier. Coll. Arg. ff. h. t. th. 10. n. 7. & seqq. 172) l. 19. l. 26. §. 9. d. l. 40. pr. ff. de cond. ind. 173) Erasmi. in Adag. 174) V. Dn. Carpz. Comm. in L. Reg. c. 4. s. 2. n. 15. & Lanf. pro Hungar. p. 470. ubi ait; majoris molis opus esse, Turcis eripere casam aliquam rusticam, quam Regi Gall. Calerum aut Bajonam 175) per l. 5. verb. quos pietas. C. h. t. 176) l. 2. C. h. 177) l. ult. C. eod. 178) per d. l. ult. C. h. ibiq; Salicet. n. 2. & 3. 179) l. 12. ff. & l. 15. C. h. l. 9. §. 3. ff. eod. 180) l. 4. C. l. 12. l. 16. ff. h. 181) d. l. 2. C. h. 182) l. 17. ff. h. 183) l. 5. §. 8. ff. de jur. dot. 184) l. 7. §. 2. ff. h. Meier. Coll. Arg. h. th. 5. 185) l. 7. §. 14. ff. h. 186) l. 47. in f. ff. d. solut. eamq; amissionem casu factam esse contendit Salicet. ad l. 2. C. de filiof. min. n. 3. 187) l. 7. §. 12. ff. h. 188) d. l. 7. §. 12. 189) l. 1. l. 7. §. ult. ff. de in rem vers. V. VVissenb. Comm. Cathedr. C. h. t. 190) l. 5. C. h. 191) l. 7. §. 13. ff. h. Frantzk. eod. n. 17. 192) V. Lanf. pro Gall. p. 171. 193) vid. Salicet. ad d. l. 5. C. h. n. 6. 194) Brunnem. ad l. 1. C. ne fil. pro patr. 195) qui cum tardius ad Herculis sacra accederent, æternum Potitiis ministrare jussi sunt. Rosin. Antiq. Rom. l. 3. c. 4. 196) post Bald. Frantzk. h. n. 18. 197) uti de iis conseruitur Aristotel. l. 2. Pol. c. 7. 198) per §. pen.

§. pen. J. quod cum eo. VVissenb. ad l. 1. 2. 3. 4. 5. C. h. 199) V. Bucellin. p. 3.
 Nucl. Hist. Un. in Ann. Gall. A. 1484. Lips. l. 1. Polit. c. 10. n. 16. N. Haud abstru-
 milis ferè fuit Licinius Imp. qui literas virus ac pestem dixit publicam. Sext.
 Aur. Victor Ep. Cæs. in vita Licin. 200) quam vid. ap. Meier. Colleg. Arg. h. t.
 th. 5. n. 16 201) Brunner. ad l. 5. C. h. t. 202) Meier. Coll. Arg. d. th. 5. n. 16.
 203) per l. 2. C. plus valere quod. & l. 2. C. de reb. alien. non al. Perez. C. h. t. n.
 10. Frantzk. ff. eod. n. 19 204) Vellej. Patere. l. 1. c. 11 205) quibus ille, Belle-
 rophontis instar, necem pati jussus, per actum sacrificuli Imp. filiam uxorem si-
 bi impetravit. vid. Kirchan. de Annul. c. 14 206) l. 1. C. h. conf. l. 2. §. 3. ff. ad
 Sct. Vellej. l. 2. l. 3. C. si min. se maj. l. 6. ff. quod cum eo. 207) d. l. 1. C. h. t.
 Perez. eod. n. 14. 208) l. 3. pr. & §. 1. ff. & l. 2. C. h. 209) Meier. Coll. Arg.
 th. 5 210) l. 19. ff. h. 211) l. 3. §. 2. ff. eod. 212) d. l. 3. §. 2. 213) quo de vide
 l. 11. §. p. & f. l. 34. ff. de min. l. 9. in f. pr. ff. de jur. & fact. ignor. 214) l. 7. §. 8
 ff. h. 215) l. 19. ibiq; Zoel. n. 19. de Novat. 216) Nov. 81 217) Silius, quem
 citat Saavedr. Symb. Pol. 15 pr. 218) Dn. Carpz. p. 2. C. 10. D. 17. n. 4. Bachov.
 ad Tr. Vol. 1. D. 20. th. 7. l. e. 219) Dn. Carpz. d. D. 17. n. 8. & 9. 220) l. fin.
 §. 1. C. h. Vinn. ad §. p. I. quod cum eo. 221) d. l. fin. §. 1 222) conf. exempl.
 Scipionis apud Valer. Max. l. 2. c. 7. n. 1. 223) uti cum Drexelio loquitur Dn. Carpz.
 Disp. de Asyl. Deb. th. 5. n. 61 224) Cic. 5. de Rep. 225) V. Lips. l. 5. Pol. c. 8.
 n. 7. & seqq. & l. 5. e. 13 n. 4. 226) Saaved. Symb. Pol. 82. 227) per l. 27. C. de
 testam. 228) V. Salic. ad l. 5. C. h. 229) l. 1. §. f. ff. h. 230) Dn. Carpz. l. 2.
 Resp. 105. n. 17. 231) per l. 6. C. de bon. quæ lib. Zoel. h. t. num. 15. 232)
 per l. 2. ff. h.

XIV.

Renunciatio filiis, nec ipsi, nec alii obest.

Non simplex: neque enim hic aliquis subest favor filii, uti supra
 diximus, sed utilitas publica, cui se socium jungit favor Parentum:
 233.) Nec jurata: licet quidem haud infimi subselli Jcti in partes hic
 abeant, ut proinde nobis cum Xenophane aut Arcesilao ἀκετάλη-
 ψίας liceat amplecti; 234.) cum tamen Veritas, non palliata, 235.)
 sed simplex magis nos moveat, quam auctoritatis splendor: ideoque
 negantium opinionem sequimur, Jure tum Civili, quo jusjurandum
 naturam negotii, polypi instar colorem, cui adhæret, assumentis, 236.)
 induit: 237.) tum Canonico; cum aliâ utilitas publica bonique mores
 destruerentur, 238.) & Scto tacile cereus nasus 239.) posset affingi.
 240.) Et licet forsitan gravior præsumptio filium minimè urgeat, ini-
 pium tamen est, hominem bonæ frugis notæque pleæti, alium ne ap-
 pellari quidem; 241.) in primis cum causas peccandi, quacunque
 via licet, præcidere expediat; 242.) adeò ut molestè seduli 243.) in
 juramento exigendo Creditores pœnam mereantur, 244.) Praxis
 tamen, suis sulca rationibus, à nobis hæc in parte dissentit. 245.)

233] Hahn. Not. ad VVesemb. ff. h. n. 3. vid. l. 7. §. 14. ff. de pact. l. 38. ff. eod.
 Zoef. h. n. 27. 234) vid. Rachel. Introd. in Ethic. Arist. c. 6 p. m. 48. & 54.
 235) quam aulis tribuit Firmianus de Sæcul. Gen. Diss. 7. p. 201. 236) Frantzk
 Comm. ff. de jurej. n. 50. 237) l. 112. §. ult. ff. de legat. 1 l. ult. C. de non. num.
 pec. l. 5. C. de LL. l. 7. §. 16. ff. de pact. Nov. 51 pr. conf. Frantzk. ff. de jurej. n. 39.
 & seqq. 238) contra c. 12. de for. comp. c. 58 d. R. J. in 6. c. 2. caus. 22. q. 2. c. 5.
 6. 8. 22. caus. 22. q. 4 c. 18. & 28. x. de jurej. 239) uti de legibus variè ad casus
 deflexis dixisse fertur Maximil. II. Imp. Tob. VVagn. Inst. Hist. l. 7. c. 8. in vit.
 Maximil. 240) Hahn. ad VVes. ff. h. n. 4. sub f. vid. Zoef. eod. n. 28. Dn. Carpz
 de Contr. Mut. pos. 3. n. 12. & seqq. Pichard. Comm. ad d. §. p. J. qvæd cum eo. qvæ
 de lege Hispana Regia, irritum hoc juramentum pronunciantes, testatur. 241)
 Frantzk. h. t. n. 6. qvæd & Cic. l. 1. Offic. cavendum monet. 242) Bachov. ad
 Tr. Vol. 1. Disp. 20. rh. 7. l. d. fac. l. 38. ibi: neq; malitiis. ff. de R. V. l. 3. C. per
 qvas person. l. 1. verb. melius occurrere. C. qvand. lic. unic. l. ult. C. in qvibus
 caus. in int. rest. nec. l. ult. §. 5. verb. coarctare juveniles calores. C. de bon. qvæ
 lib. 243) Curt. l. 3. n. 6. 244) Meier. Colleg. Arg. h. t. th. 12. 245) Dn.
 Carpz. P. 3. Decis. 256. n. 37. & seqq.

XV.

Affinia paucissimis erunt delibanda.

1. SCtum Vellejanum, quo intercessio mulierum prohibetur. 246)
2. Exceptio in factum filiif. qvi facti errore lapsus mutuum sui jam
 juris novatione facta promisit, 247.) cui si creditor inhæreat exce-
 ptione hac rejectus, thesaurum cineres fuisse 248.) sentit.
3. Restitutio in integrum filiif. minoris, qvi mutuum sumsit. 249.)
4. Privilegium Competentiæ, qvæd filium sui juris, in negotio qvon-
 dam Patris versatum, tuetur. 250.)

Sed ne justo prolixior, inane dolium imitari videar, 251.) rece-
 ptui hîc canere, teq;, B. L. verbis, qvibus Prætor olim reum absol-
 visse fertur, alloqvi juvat: Nihil te moror. 252.) Qvæd si qvæd
 humani 253.) passus fuerim, à te, B. L. veniam, vel duabus bonita-
 tis partibus contentam, dicente Paulo III. P. P. 254.) exspecto spe-
 roq; fore, ut mihi meliora monito legis XII. Tabb. patrociniò 255.)
 uti, frui liceat; Sanatibus idem, qvæd forctibus jus esto.

246) l. 1. pr. l. 2. §. 1. ff. ad Sct. Vellej. l. 40. ff. de cond. ind. 247) l. 20. ff. h.
 248) Lips. Disp. Not. Mirandul. Cod. ad Tacit. Præf. 249) l. 2 C. de filiof. min.
 junct. l. 1. C. si. advers. cred. 250) l. 2. ff. qvæd cum eo. vid. ibid. Zoef. 251) V.
 Firmian. de Sæc. Gen. Diss. 4. p. 117. 252) Alex. Sardus de mor. gent. l. 2. c. 22.
 in f. 253) conf. Const. tanta. §. 14. & Const. Dedit nobis §. 13. de Conf. Digest.
 254) V. Lanf. Mantiff. Or. de prærog. cert. p. m. 104. 255) V. Resin. Antiq. Rom.
 l. 8. c. 6. in sec. part. LL, XII. Tabb. l. 12.

F I N I S.


01 A 6531


ULB Halle 3
002 937 506



12
W12







12.

SCTUM MA-
CEDONIANUM

DEO DIRECTORE ET
DUCTORE

Superiorum Auspiciis

publicè

PRÆSIDE

DN. JOHANN-ERNESTO
NORICO, J. U. D. & h. t.

Rectore Magnifico,

Preceptore, Hospite & Patrono Maximo

discutiendum

proponit

MARTINUS ZACHARIAS CRAMERUS,

Northusa-Cheruscus,

Auctor.

ANNO M DC LXV. D. 18. Maj.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ

Typis Viduæ HENNINGI COLERI,

Sfn. Lic. Reglüt.

